BIBLIA. ISIDORUS HISPALENSIS. EUCHERIUS LUGDUNENSIS
Admont, 12. Jh. Seite 264r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26491
Copyright: Admont, Benediktinerstift



ambiunt ex fortissimis israel. omnes tenentes gladios et ad bel
la doctissimi. Unicuique ensis super femur suum. propter timores
nocturnos. Ferculum fecit sibi rex salemon de lignis lybani. De
xpo dicitur. Columnas eius fecit argenteas. reclinatorium
aureum. ascensum purpureum. media caritate constrauit, propter fi
lias ierusalem. Ecclesia de xpo dicit. Egredimini et uidete fi
lie syon regem Salemonem in diademate quo coronauit eum mater
sua. in die desponsationis illius. et in die leticie cordis eius. Vox
xpi ad ecclesiam. Quam pulchra es amica mea. quam pul
chra es. oculi tui columbarum. absque eo quod intrinsecus latet. Ca
pilli tui sicut greges caprarum que ascendunt de monte gala
ad. Dentes tui sicut greges tonsarum. que ascendunt de lauacro.
omnes gemellis fetibus. et sterilis non est inter eas. Sicut uitta coccinea la
bia tua. et eloquium tuum dulce. Sicut fragmen mali punici. ita
gene tue. absque eo quod intrinsecus latet. Sicut turris dauid collum
tuum. que edificata est cum propugnaculis. Mille clippei pendent
ex ea. omnis armatura fortium. Duo ubera tua sicut duo hinnu
li capree gemelli. qui pascuntur in liliis donec aspiret dies
et inclinentur umbre. Uadam ad montem mirre. et ad collem
thuris. Tota pulchra es amica mea. et macula non est in te.
Ueni de lybano sponsa mea. ueni de lybano ueni. Coronabe
ris de capite ammana. de uertice sanir et hermon. de cu
bilibus leonum. de montibus pardorum. Vulnerasti cor meum soror
mea sponsa. uulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum. et in
uno crine colli tui. Quam pulchre sunt mamme tue sponsa soror
mea. Pulchriora sunt ubera tua uino. et odor unguentorum
tuorum super omnia aromata. Fauus distillans labia tua sponsa.
mel et lac sub lingua tua. et odor uestimentorum tuorum sicut odor
thuris. Hortus conclusus soror mea sponsa. hortus conclusus.
fons signatus. Emissiones tue paradysus malorum punicorum. cum po
morum fructibus. cypri cum nardo. nardus et crocus. fistula et cina
momum cum uniuersis lignis lybani. mirra et aloe cum omnibus
primis unguentis. fons hortorum. puteus aquarum uiuentium.
que fluunt impetu de lybano. Xpc gentes auuocat.